

*Relatib. ac coll. m. Venerata*

F. M. ANTONII  
CAPELLI

Franciscani Conuentualis

A D V E R S V S P R A E T E N S V M

Primum Ecclesiasticum Regis Angliae

L I B E R

In quo Iacobi Regis, & eius Eleemosynarij  
confutantur Scripta

*De* { *Captioso Iuramento Proposito Anglis Catholicis.*  
*Vsurpata Potestate Spirituali eiusdem Regis.*  
*Exaggerata, & Impossibili Hominum, & Reddituum*  
*sacerorum copia in universa Republica Christiana.*

Ad Illustriss. & Reuerendiss. Dominum,  
D. Benedictum S. R. E. Presbyt.


Card. Iustinianum,

*Pro Sanctissimo D. N. PAULO Papa Quinto*  
*Bononiae de Latere Legatum, &c.*

Loquebar de Testimonijs tuis  
in conspectu Regum, & non  
confundebar. Psal. 118.



Bononia, Ex Typographia Bartholomaei Cocchij. 1610.  
*De Superiorum licentia.*



# ILLVSTRISSIME, & Reuer.<sup>me</sup> in Christo Pater, & Domine colendiss.

**P**O ST Q V A M *Divina Manus, per tuam, huc me perduxit, & Statuit supra petram pedes meos, quotannis Patriarcham Iacob Patria profugum, & inopem imitari conatus sum. Ille enim cum grati animi ergo pro maximis a Deo acceptis muneribus, nec tempла, nec altaria struere, & dedicare posset, unicum Lapidem, eumque impolitum, & rudem Erexit in titulum fundens oleum desuper. Deo, Ecclesiae sanctae, Tibique Illusterrime Pater, B E N E D I C T E C A R D I N A L I S IVSTINIANE, utinam offerre possem maiora; namque semen maximorum beneficiorum, que accepi, nec Inviam, nec Super petram, nec Inter spinas cecidisse, probè monstrarem. Sed qui non possim, quæ vellem, vellem enim, quæ debeo, quæ possum, volo, & presto, rudesque lapides elucubrationum mearum singu-*

LEGES IN ANGLIA  
PROMulgatae  
adversus Catholicos  
IACOBO SEXTO REGE.

I. ANCITVR, vt quicumque  
conuictus fuerit, quod rei sa-  
cræ interesse pertinaciter re-  
cusarit; post autem cōformem  
se reddiderit; ei vt non satis  
sit, si templa adeat, nisi & in-  
tra annum sacra etiam Eucharistia communicet;  
atque ita deinceps, semel saltem quotannis. Qui  
secus faxit, pecuniaria multa luat, anno primo,  
20; anno secundo, 40; tertio, 60. librarum no-  
stratum. Sin ubi semel communicauit; post de-  
crectet iterum, quotannis 60.

*Harum excep-  
tione est apud  
adversarios  
Tortura.  
F. 128.*

II. Quotannis semel deferantur ad Iudices  
corum nomina, qui de menstrua absentia notati  
sunt, etiam si quos habeant liberos nouennes, vel  
supra, qui apud parentes agant; tum seruorum  
etiam nomina. Ni deferantur, decem florenis  
mulcantur, quorum id ex lege munus est.

A

III. Pote-